Oa93

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

Zu der

öffentlichen Prüfung aller Klassen

des

Königlichen Gymnasiums

zu Marienwerder

Dienstag den 4. Oktober 1864

ladet ergebenst ein

der Direktor

Prof. Dr. Joh. Otto Leop. August Lehmann.

Inhalt.

Marienwerder, 1864.
Gedruckt bei Friedrich August Harich.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

Stadtbibliothek
Thorn

AB 1697

De

vocabulorum Umbricorum fictione

scripsit

Dr. A. F. Zeyſs.

Partic. II.

II. De substantivis.

§. 4.

Substantivis singulis ita singulae redduntur notae, quibus insignes sunt res iis significatae, ut praeter composita nullum sit substantivum, quo plus una nota manifesto atque aperte proponatur, nedum eorum omnium, quae sint eo effingenda, solida exprimatur imago, ut fluviorum nomina alia simpliciter aquam vel fluxionem significant, alia lapsus aut segnitiem aut rapiditatem, rursus alia cursum aut rectum aut obliquum, deinde alia naturam, alia murmur vel sonitum aquarum. Ducta enim sunt substantiva aut a verbis, aut a nominibus. Haec verbalia vocantur, illa nominalia, quae quum aut ab adiectivis, aut a numeralibus, aut a substantivis originem trahant, in tria dispertiuntur genera.

A. De substantivis verbalibus.

Substantiva verbalia duplicis generis sunt, nam

1, nuda radice constant, cuius vocalis aut integra est, aut aliquo modo mutata. Et illius quidem generis sunt far (far [27]), ner (sanscrit. nără, persic. ner, graec.

27) Ex farer genitivo id quidem apparere videtur a latino farris vocabulo umbricum simplici r littera differre; sed quum pro duplici consonante simplici Umbri utantur, ea huius vocabuli forma, in qua duplex r inest, propria videtur Italorum esse habenda. Quod autem duplex hoc r Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monument. vol. II. p. 406. ex rs ortum esse volunt, id etiamsi per se non est improbandum, tamen farsio vocabulo firmari nullo pacto potest propterea, quod id a farre non licet ducere, ut duxerunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 91. et 98., vol. II. p. 406., licet iidem vol. II. p. 186. de origine eius nihil decreverint. Primum enim farer Umbri dixerunt, non farser. Deinde, ut a latino farre farina fluxit, sic pro umbrico farsio (VI. b, 2.), si a farre id esset profectum, fariu et fario, quod cum farer genitivo congrueret, scribi potuit, fasiu (II. a, 12.) et fasio (VI. b, 44.) non item. An ex fasiu et fasio r deletum est, ex farer s? Quod reliquum est, de radice farris vocabuli coniecturam facere equidem non audeo, quamquam quae alii de hac re proposuerunt, non probo. Et Benarius quidem in libro de linguae latin. elementis. p. 160. et, qui ei assensi sunt, Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 91. a sanscritica radice ghrisch sive gharsch (fricare, terere) far ducere non

ἀνήρ), pak (pax), prak, pir sive pur (ignis = graec. πῦρ, gemanic. fiur), quod non solum cum umbrico pureto (accensus), sed etiam cum latino com-bur-o et bustum collatum ex (b)urendo nominatum esse patet[28]. Adde huc Nār-is fluvii nomen[29]. In eiusdem generis substantivorum numero buv (bos) et siv (sus) habenda sunt. Buv enim aeque ac latinum bŏv et graecum βoF ita a boendo, quod est pro bovendo (mugiendo), profectum est, ut sanscriticum gō a gu (sonare), cuius radicis vocalis epenthesi **a** litterae aucta quum ante vocalem in semivocalem sibi finitimam transiret, gav ortum est, cui congruit latinum bov-ere. Iam **o** vocalis ut in graeca lingua cum digammate in ου diphthongum (βοῦς) coaluit, sic in umbrica, quum **v** semivocali assimularetur, in **u** versa est, ita ut bŭv stirps exsisteret, cuius extrema littera ante vocales antecedente vocali non affectâ excidit (abl. sing. bŭe, genit. pl. bŭo), sed ante consonantes cum antecedente vocali in longum **u** transiit (acc. sing. būm, acc. pl. būf). Pro buv autem apud Volscos et Sabellos bĭv fuisse ex volsco acc. bīm (tabul. Velitern. 2.) et sabellico ablat. bĭe (lap. Crecchin. 3.) efficitur. Similiter siv stirpem collatis suwi genitivo germanico et Romanorum verbo nominali subandi subulcique vocabulo, in quibus ut in bubulci nomine **b** pro **v** positum est, principio in **v** exisse apparet, quod ante consonantes cum antecedente vocali in longum **i** versum sit (acc. sing. sīm, acc. pl. sīf). Vocali antem ut pir umbricum graeco πῦρ propius est quam latino būr (com-bur-o, bustum), ita umbricum sĭv ad graecum συF propius accedit quam ad latinum sŭv, a qua stirpe ortum est etiam germanicum sū[30]. Et grunnientem quidem videtur suv vel sonum

---

dubitaverunt; at farina si ex fricando nominata esset, non esset mirum: far, frumentum non tritum, ut ex fricando nomen inveniret, nullo modo fieri potuit. An a farina far traxit nomen? Nae illi non viderunt famosae istius antiphrasis insigne se proponere exemplum. Prudentius sane Pottius in Quaestion. etymol. vol. I. p. 220. et vol. II. p. 52. et Rossbachius in Quaestion. de Romanorum matrimonio institut. p. 104. farris vocabuli originem a sanscritica radice bhri, quàe et ferre et nutrire significat, repetiverunt; at obstare videtur eorum explicationi farris duplex r littera, qua etiam islandic. barr (hordeum) terminatur. Quod vocabulum non minus quam gothicum baris (hordeum) haud scio an ex eodem fonte, quo far, emanaverit.

28) Labialem inceptivam, ut Romani in ūrendi verbo simplici et in ūr, quo substantivo incendium significabatur (vid. Glossar. latin. bibliothecae Parisinae antiquiss. ed. Hildebrand. p. 167. et 295.), sic Indi in ŭsch radice et Hiberni in ur (ignis) suppresserunt. Aliam quidem viam Aufrecht. et Kirchhoff. inierunt, qui ling. umbr. monum. vol. I. p. 36—37., 98., 105. vol. II. p. 414. pir vocabulum a pū radice sanscritica (purgare, lustrare) duxerunt et ex puvas ita profectum esse voluerunt, ut primum puvar, deinde puer, tum pier, denique pir pronunciatum esse dicerent, quam explicationem non dubitaverunt sequi Schweizer. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. III. p. 380., L. Meyer. ibidem vol. V. p. 386., Corssen. ibid. vol. II. p. 15. et de Volscor. ling. p. 12. Omitto alia, at nescio, an magis in urendo, quam in purgando vis, quae in igne inest, cernatur.

29) Vid. quae de eo in not. 11. dixi et cf. Anae (Guadianae) fluvii nomen ab aqua ductum, quam Berberi anan et Guani aenum nominant. Quid de hac re expositum sit in R. Fergusonii libro, qui inscribitur: The River-Names of Europe. Lond. 1862., nondum cognovi.

30) Alia de hac re disputaverunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 36. et Corssen. de Volscor. ling. p. 12. et in act. eruditor., quae Kuhn. edit, vol. 10. p. 24.,

suum proprium edentem significare, id quod colligas ex sanscritico sūcara, quod „sū sonum proferens“ expressum est. Cf. Pott. Quaest. etymolog. vol. 2. p. 189 et 441.

Mutata autem est radicis vocalis in aliis substantivis, ut in rus (rus), quod a karsch sive krisch (arare) radice sanscritica sublata k littera inceptiva ortum ese volunt. Eodem referenda sunt ea, quorum vocalis primitiva producta est, ut vūk (vox, vōcis) a vŏc radice, quae eadem est ac sanscrit. vatsch, ductum[31]) et Dei sive Di (Iupiter, proprie Coelus) a div radice (splendere) ortum[32]).

---

quos refellere supersedeo. Quod autem eodem illo loco Aufrecht. et Kirchhoff. suem fodientem sive eruentem interpretati sunt, ego vero nescio, qua ratione ea coniectura possit confirmari. Neque probabilis est explicatio a Passovio in lexic. graec. proposita, quam Huschkius tabul. Iguvin. p. 541. repetivit. Ii, quum a σv radice, quae in ἔσσυμαι continetur eademque est ac sanscritica sŭ, suis vocabulum ducerent, feram ruentem sive cursu effuso tendentem eo significari dixerunt. At omnium fere ferarum est cursu effuso ferri, non unarum suum.

31) Ab hoc nomine repetimus non solum sub-ok-o, sed etiam vuke (III. 3. 21.), quod Aufrecht. et Kirchhoff., etsi ling. umbr. monum. vol. II. p. 366. et 371—372. incerti sunt, utrum ad vocis vocabulum, an ad vuko sive voko, i. e. vicum, referant, tamen vol. II. p. 423. ad vuko revocare non dubitant. Nam ut VI. a, 17. positum est nomne carsitu, i. e. nomine vocato, sic III. 21. legitur kaqitu vuke, quod Romanorum est vocato voce, i. e. clara voce. Pari enim modo Romani voce vocare (Vergil. Aen. 4, 680-681. 6, 247. 12, 638. Tibull. 2, 1, 83-84.) et vocibus vocare (Justin. 38, 7, 8.) dicebant, quod magna voce vocare significat. Ut vero a Vergilio Aen. 9, 403. nequaquam perturbata, ut volunt interpretes, oratione dictum est: suspiciens altam Lunam et sic voce precatur, i. e. oculos ad Lunam tollens et vociferans has preces facit, sic III. 3. scriptum est: Huntak vuke prumu pehatu, i. e. Eādem (sive in eodem sacro) voce primum piato, quibus verbis hoc declaratur: Primum magna voce precans deos piato.

32) Quum ex Dei pro Di scripto vocalem huius nominis longam esse appareat, etymon eius Grotefend. Rudim. ling. umbr. Partic. III. 25. non Dis esse ponit, sed Δῖος, quo nomine, teste Hesychio s. v. Δωδωνεὺς, Ζεὺς appellatus sit. Eandem ob causam Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. II. p. 136. et Huschkius tabul. Iguvin. p. 110. Dei accusativum et vocativum cum latino dīus sive divus, osco deívú-, graeco δῖος contulerunt, ita quidem a Grot fend. dissentientes, ut, quos casus ille ad proprium nomen refert, ipsi appellativi esse velint. Sed sunt, quae huic rei repugnent. Nam primum, etsi per se non videtur esse, quod nominatim in precibus dii appellentur et verba ipsa deus venerande maxime videntur precibus esse consentanea, in his tamen, de quibus disputamus, precibus Jovem iis invocari parum ei videbitur probabile, qui reputaverit non solum subtilitate illa earum propria requiri, ut ipsum nomen edatur dei invocati, sed etiam hac re, quod in ceteris omnibus tabularum Iguvinarum precibus nomine suo dii deaeque appellantur, atque adeo, qui deus omnibus locis precum, quae in tab. VI. a, 22—55. leguntur, Di sive Dei grabovie invocatur, is ante eas ipsas nominis proprii dativo Juve grabovei denotatur. Imo ex his ipsis rebus, nisi me animus fallit, colligendum est Dei accusativum et vocativum nominis esse, quod idem valeat, quod nomen proprium, cuius est dativus Juve. Deinde ad confirmandam sententiam suam Aufrecht. et Kirchhoff., ut in Dii Fidii, Romanorum dei, nomine, sic in Jove Umbris in precibus notando dii nomen appellativum offensioni esse negaverunt. Sed multum interest inter ea, quae illi comparaverunt; nam propter singularem, quae addito nomini subiecta est, notionem, ut Volsci Divum Declunum unum deum nominaverunt, cuius dativus Deve Declune tabul. Velitern. initio legitur, sic Romani unum deum Dii Fidii nomine appellaverunt; grabovios autem, quod adiectivum idem declarare, quod latinum venerandus, supra in nota 4. dixi, propter generalem, quae in eo inest, notionem tres deos Umbri, Jovem, Martem, Vofionum, dixerunt, ex quo hoc efficitur Aufrechti et Kirchhoffii sententiam contentione illa probari non posse. Quae quum ita sint, non a dīo Dei

2, Ita a verbis derivata sunt substantiva, ut illorum stirpi positio aliqua (παραγωγή) annecteretur. Huc

a, referenda sunt, quae sunt figurata addita sola aliqua vocali. Et primum quidem **a** vocalem assumunt asa (ara), quod nomen, quum ab ās (sedere) radice ductum sit, proprie sedem significat, et vea sive via, quod substantivum umbricum aeque atque idem significantia oscum viú (cipp. Abell. 56.) et latinum via ductum est a vei stirpe ex vĕh (vehere) sublato **h** finali profecta. Cf. Varr. de R. R. I. 14. „A quo rustici etiam nunc viam veam appellant propter vecturas.“ Accedunt menza (mensa) et porka (porca), quod vocabulum non solum Umbrorum, Sabinorum, Romanorum erat, sed etiam priscorum Atticorum (Varr. de L. L. V. 19, 97.) et Germanorum, apud quos hae eius formae comparent: barc, barch, borc, borch. Cf. etiam lituanicum parszas (porculus). Ductum id est a pork radice, quam eruere vel suffodere significasse ex eo intelligitur, quod et sulcum et terram inter duos sulcos elatam (Colum. II. 4, 8. Paul. Diac. p. 80. ed. Lindem.) rustici Romani porcam vocabant [33]).

Deinde **o** stirpi annectitur, ut in kebo (cibus), cuius radix eadem est ac lituanic.

---

ducere licet, sed in nomine proprio, cuius Dei accusativus et vocativus sunt, v littera suppressa div radicis vocalem productam ab Umbris esse existimandum est. Cf. *Δειπάτυρος θεὸς παρὰ Στυμφαίοις*. Hesych. et Romanorum Deiana. Duae igitur in lingua umbrica Jovis nominis formae fuerunt, altera a div radice ducta Dī-s (Coelus), altera a dju, quae radix eiusdem est potestatis, derivata Juv-is, ita ut Jupiter et Dei sive Di et Jū-pater (II. b, 24.) invocari posset. Quae res mira esse non poterit, si eandem reputaverimus fuisse eius rationem apud Indos, Graecos, Romanos, apud quos easdem duas radices invenimus, div et dju, quae ex simplici radice di unius litterae accessione progenitae sunt. Nam ut a dju (splendere) radice sanscriticum dju (coelum, dies) ortum est ab eademque a vocali aucta nominativus sanscriticus djâu-s (coelum), quocum conferendus est Graecorum *Ζεύ-ς*, quem ex *Διεύ-ς* fictum esse constat, Romanorumque Diov-is, sic ex div (splendere) radice natus est genitivus sanscriticus div-ás et graecus *Δι-ός*. Qua nominis forma Romanos non caruisse ex nominibus intelligitur, quorum origo a Di-s repetenda est, qualia sunt Dĭ-alis et Dei-ana, Dī-ana, Dĭ-ana (= *Δι-ώνη*).

33) Porcae vocabulum ut activae est significationis, ubi idem est, quod sus, ita patiendi naturam habet, ubi eaedem notiones ei subiectae sunt, quae lirae nomini, quod principio idem ac germanicum leisa habendum est. Quamquam vero porcae vocabulum, quo sulcus notatur, proprie idem est, quod germanicum furche, tamen non omnes sulci videntur eo nomine significati esse, sed tantum aut signa sulcorum, quae ultra se iaci semina prohibebant (Non. ed. Mercer. p. 61.), aut rari sulci, qui in agris ducebantur aquae derivandae et frumentis prohibendae gratia (Fest. p. 201. et Paul. Diac. p. 119. ed. Lindem.), qui iidem lirae (Non. p. 17. ed. Mercer. Gloss. Philox.) vocabantur. Quas porcas qui a porcendo, i. e. prohibendo vel arcendo, quod nostrum est pferchen, dictas esse vult, ut voluerunt Festus et Nonius in locis, quos dixi, is porcae vocabulum, quo sus significatur, aliud omnino esse statuat necesse est ac porcae nomen, quo et eiusmodi sulcus et terra inter duos sulcos eminens declaratur, quae sententia non dubito, quin non minus magno in errore sit quam Varronis, qui et porcam, i. e. suem, quod Sabini eam diis porrecissent, a porriciendo appellatam esse de L. L. V. 19, 97. voluit, ubi „a primo porco porriciendo porcus“ legendum esse Henop. de ling. Sabin. p. 29. vidit, et porcam, i. e. liram, quam de L. L. V. 4, 39. terram proiectam esse putavit, de R. R. I. 29. (cf. Fest. p. 208. et Paul. Diac. p. 128. ed. Lindem.) a frumento porriciendo nominatam esse dixit.

żēb (edere), furo, juko (carmen, concepta verba)[34], vīro sive veiro, quod vocabulum umbricum dubitandum non est, quin profectum sit ab eadem radice vir (robustum esse), a qua ortum est vīrium nomen latinum, cui rei correpta latini vocabuli vĭri prior syllaba non repugnat propterea, quod ea non solum ab Umbris producitur, id quod ex veiro pro viro scripto apparet, sed etiam ab omnibus, qui eo vocabulo utuntur, populis cognatis. Cf. sanscrit. vīra (heros), gothic. vair, lettic. vīrs, lituanic. vȳras, borussic. vȳrs[35]). Adde vuko sive voco, quod non solum idem habendum est, quod latinum vīco, gothicum veihs, anglosaxonicum vīc, germanicum wīch priorque pars nostri substantivi weich-bild lituanicique wiess-patis (terrae domicus), sed etiam, licet domus notio iis subiecta sit, idem, quod graecum Foĩko et sanscritium vēça, quod a viç (intrare) ductum esse constat. Cui rei ut non repugnat graeci illius vocabuli οι diphthongus, ita non adversatur huius umbrici **o** littera.

Tum **i** stirpi affigitur, ut in avi (avis), quod vocabulum ut graec. ἀετὸν ab ἄF (flare) radice ductum esse putant, et in ovi (ovis), quod nomen aeque atque avi sanscriticum, gothicum, lituanicum et ὄFι graecum ab av (ire) radice sanscritica derivatum iccirco ovi videtur esse positum, ut ea a volantibns, repentibus, natantibus bestiis discerneretur, quare comparari id potest cum graeco *πρόβατον*, quo quum ceteras quadrupedes, quae progrediendi causa pedes promovent, tum apud Atticos praecipue oves notari constat. Accedit Juvi (Jovis), quod nomen aeque ac latinum jŭb-ar, in quo **b** pro v et r pro s est positum, a dju (splendere) derivatum est, cuius radicis sanscriticae littera extrema **a** vocalis epenthesi aucta quum ante vocalem in semivocalem propinquam mutaretur, djav ortum est. Pro eius **a** Latini **ŏ** ponentes Diovis finxerunt. Varr. de L. L. V. 10, 66. Gell. N. A. V. 12. cf. Diove in titul. latin. apud Mommsen. in stud. osc. supplement. p. 108., Diovem in paterae alicuius inscriptione ab Henzen. in institut. archaeolog. Roman. act. 1858. p. 104. edita, Vediovis apud Orell. 1287 et in Fast. Praenest. apud Orell. Vol. II. p. 382 et 386. itemque oscum Diúvei in tabul. Agnonens. a, 11. 12. b, 14. 15. et ΔιουFει Fερσορει apud Mommsen. Ital. infer. dial. p. 191. Iam suppressa **d** littera Latini Diovem in Jovem verterunt, at Umbri principalem **a** vocalem sequenti v assimulando in **u** mutantes Juvi formaverunt.

Denique **u** stirpi additur, ut in asu (VI. b, 50. = ara), vutu (vultus), quod profectum est ab eadem radice, a qua gothicum vulthus (splendor, magnificentia) et germanicum wuldar (splendor, gloria). Finitima ea est vlit radici germanicae, a qua orta sunt gothica vleitan (intueri) et vlits (facies) et anglosaxonicum vlītan

---

34) Separandum utique est hoc vocabulum, quod neutrius generis esse ex III. 28. apparet, a latin. jŏco et lituanic. jukas.

35) Quod Pottius Quaestion. etymolog. Vol. I. p. 200. a sanscritica radice vri (tegere) hoc vocabulum duxit, id iccirco probandum non est, quod tutoris notio altius quam pro vera eius ratione est repetita.

(videre). Huc referendum est etiam trifu sive trefu (tribus), de cuius etymo in not. 5. disserui. Adde beru et pecu (= latin. pecu et sanscrit. paçu), de cuius radice pak vid. Pott. Quaest. etymol. vol. 1. p. 188.

b, Alterum genus est eorum, quae sunt ficta syllaba addita, quae aut a vocali incipit aut a consona.

α, Atque ut ab inclinamentis ordiamur, quae a vocalibus initium capiunt, primo loco el ponimus, in quod exit eqel (I. a, 30)[36], es, in quod desinit ahes (aes), quocum cf. sanscritic. ajas (ferrum), et, in quod cadit adet.

---

36) Eqel, quod I. a, 30. in archetypo legitur, si formam eius spectas, ut katel (II. a, 43.) et tidel (II. a, 15.) nominativus videtur singularis esse; sed subiectum esse non potest, non eo quidem, quod, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. II. 222., is, qui porriciat, sive is aqfertur sit, sive aliquis eius administrorum, nusquam proprio vocabulo declaretur, sed quia omnis oratio in prima tabula ad illum ipsum convertitur. Contra requiritur accusativus ad purtiius verbum necessarius, et quidem eius vocabuli, quod aut ad omnes res sacrificandas, quarum in iis, quae praecedunt, facta est mentio, ad suqum pesuntru, vestidam, pequm, spectet, aut, id quod est veri similius, ad unum pequm, quod proxime antecedit. Iam vero Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 84., vol. II. p. 222. et 404., quominus substantivi neutrius generis accusativus eqel haberetur, obstare putantes, quod tale substantivum neutrius generis omni linguae umbricae analogiae repugnaret, eqel in eqek mutare non dubitaverunt eamque coniecturam Huschkius in tabul. Iguvin. p. 195., quod eqel vocabulo nulla subiecta esset sententia, probavit. At ea tantum abest, ut sit probanda, ut sit inanissima, quandoquidem omnibus locis eqek sive erse non id (de cuius forma umbrica vid. not. 47.) significat, sed tum. Quae res ut perspicua fiat atque evidens, omnes locos, quibus illud vocabulum legitur, hic percensebo. Et primum quidem III. 33. 35. IV. 3. eqek, si esset pronomen, pluralis numeri habendum esset, non singularis, propterea, quod ad nihil aliud his locis id posset referri nisi ad tuiva et trija tefra antecedentia. Deinde IV. 32. piqi-eqek significare non potest, id quod Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 138. volunt, quodcunque-id; etenim eadem huius loci est ratio, quae VI. a, 6. Ut hic eqek antecedenti piqi respondet, sic illic erse praecedenti pirsi oppositum est. Quum vero VI. a, 6. pirsi-erse idem declarare, quod Latinum quum-tum, exploratum sit, eiusdem significationis piqi-eqek hic esse efficitur. Simillima horum locorum ea sunt, quae V. a, 26. et VI. a, 8. leguntur. Nam ut hic eqek ad antecedens sve (si) pertinet, sic illic erse ad praecedens pufe (ubi) referendum est, ex quo sequitur, ut utroque loco eqek sive erse nihil aliud, quam tum, significet. Restat IV. 21., quo loco eqek, nisi antecedens tehteqim pro tehteqium positum esset, ita ut genus eius esset neutrum, ad id referri et latinum id exprimere posse Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. II. p. 376. negaverunt. At non solum, cuius sit ordinis et generis hoc substantivum, demonstrari non potest, sed ne tum quidem, si id posset demonstrari, eqek pronomen habere liceret, propterea, quod pronomen demonstrativum, quod ad ea, quae antecedunt, refertur, si idem eius casus obliquus requiritur, qui est antecedentis, ad quod id spectat, nominis, ab Umbris aeque atque a Romanis supprimitur. Cf. III. 33. 35. IV. 3., quos locos supra dixi. Ergo etiam hic, id quod Aufrecht. et Kirchhoff. ipsi ling. umbr. monum. vol. II. p. 404. viderunt, eqek idem significat, quod latinum tum. Sed, ut ad propositum revertamur, illa notio quam sit ab I. a, 30. aliena, nemo est, qui non perspiciat. Retinendum ergo est eqel, quod quum non sit pronomen, nihil aliud esse nisi substantivum idque neutrius generis satis ex hoc loco apparet. Non licet quidem aliud substantivum neutrius generis afferre, quod in el syllabam cadat, sed haec non est causa, qua prohibeamur id neutrius generis substantivum habere; minorem enim vocabulorum umbricorum numerum novimus, quam ut linguae umbricae analogiae quid ubique repugnet, quid non repugnet, decernere possimus. Significet autem eqel necesse est aut idem, quod pequm, aut aliquam rem, quae cum peqo coniungenda et una cum eo porricienda sit. Fortasse igitur eq-el ab eq, i. e. edere, ortum est, ita ut, quamvis a latino ed-uli sive ed-ulio forma ac specie differat, significatione tamen idem sit.

Deinde in en, in quod latina substantiva pect-en, poll-en, sangu-en, ungu-en exitum habent, umbricum cadit ut-en (aqua)[37].

Tum in er tŭder (finis, limes) exit, quod vocabulum a tŭd ductum principio videtur palum vel lapidem terminalem, qui in terra defigeretur, significasse idemque habendum est, quod Tŭder-is, urbis umbricae, nomen, eoque magis, quod urbis illius nomen aeque est neutrius generis atque hoc substantivum in singulari numero. Videtur autem hoc nomen illi datum esse, non quod ea, ut voluerunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 2. p. 75., proxime fines Etruriae sita esset, sed quia, ut ait Huschkius tabul. Iguvin. p. 71., urbs erat, non oppidum. De qua re vid. Mueller. Etrusc. vol. 2. p. 145.

Denique in on, quae terminatio in latina lingua frequentata est, in umbrica cadunt menz-on (genus quoddam mensarum)[38] et kar-on (caro), quo nomine cum sanscritico kravja sive kravis et graeco κρέας comparato ut illa ex krav et ΚρεF, sic hoc ex carv ortum esse et litterarum transmutatione ab iis differre perspicuum est. Idem constat vocabulum habendum esse gothicum hraiv et germanicum hrêo, quod hrêves genitivum facit; neque enim obstat, quod utrumque eorum cadaver significat, propterea, quod in carnificis vocabulo carni eadem notio subiecta est. Cum his autem nominibus I. Grimmius in ling. germanic. hist. p. 1010., Nesselmann. in lexic. lituanic. s. v. kraujas, Kuhnius in act. erudit. a se edit. vol. 2. p. 235—236. latinum cruor, ex quo crūdus ex cruidus natum et crudelis fluxerunt, et quae idem sonant, lituanicum kraujas, borussicum kravja slavicumque krŭvĭ praeclare contulerunt, quippe quae ex eadem, qua haec, profecta sint radice, sub qua nullam aliam subiiciendam esse notionem nisi rubendi Lottnerus in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 7. p. 182. acute coniecit[39]. Ex alio utique fonte ema-

---

37) Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. II. p. 17., 347., 422., quum II. b, 20., ubi une pesnimu in archetypo scriptum est, cum II. a, 38., quo loco umne sevakni persnihmu legitur, compararent, une in umne mutare non dubitaverunt, quam mutationem Huschkius tabul. Iguvin. p. 329. non solum probavit, sed etiam ita tenuit, ut ea nisus II. b, 16. pro pune fertu, quod iam II. b, 14. dictum esset, inconsulte ac temere ume fertu poneret. Non animadverterunt scilicet illi, quod in promptu est nec fugit Grotefendum Rudim. ling. umbr. Partic. VII. p. 13. et §. 12., qui quidem in interpretando utur et une erravit, iis, quae in priore sacrorum parte II. b, 14.—15. leguntur: sviseve fertu pune, etre sviseve vinu fertu, tertie sviseve utur fertu, i. e. in-ferto lac, in altera-vinum ferto, in tertia-aquam ferto, in posteriore II. b, 20. haec respondere: pune pesnimu, vinu pesnimu, une pesnimu, i. e. lacte precator, vino precator, -precator, ex quo hoc efficitur, sub une ablativo eandem ac sub utur accusativo subiiciendam esse sententiam. Non licet quidem ab ut-ur, de quo vid. not. 43., une ablativum ducere, verum existimandum est, ut Graeci aquam efferentes nominativum quidem et accusativum sing. ὕδ - ωρ usurpaverint, sed ceteros casus ab ὕδ - αρ petiverint, sic Umbros in eiusdem vocabuli declinatione diversis usos esse formis thematicis, ut-ur et ut-en, quod cum sanscritico ud-an (aqua) et gothico vat-an (aqua) conferendum sit. Quod vero pro ut-ne ii, ut durum t et n consonantium concursum vitarent, t eliso u-ne dixerunt, collatis, quae eiusdem sunt adiectivi, pustnaiaf (I. b, 11.) et pusna[i]es (I. a, 2.) offensioni esse non poterit.

38) Negari id quidem non potest, etiam in en menzne vocabuli stirpem desinere posse.

39) Neque kravjat thema a Kuhnio loco, quem supra laudavi, fictum probo, neque coagula-

navit umbricum illud oscumque vocabulum kar-on, cuius nominativus karu umbrice scriptus V. a, 24. 27. V. b, 4. et genit. carneis in tabul. Bantin. 3. 7. legitur[40]. Id enim, quum pars eo significetur, non dubito, quin ex eadem radice exortum sit, ex qua genita sunt Romanum cer-no, quod proprie significat separo vel disiungo, et Graecum κρί-νω, quorum utriusque n additum radici, non proprium esse constat. Ea autem fortasse eadem est, quae sancritica krī (disiicere, dispergere, partiri), a qua Buggius in act. erudit., quae Kuhn edit, vol. 2. p. 386—387. hoc substantivum duxit.

Ut vero Latini on syllabam verborum stirpibus addunt ad substantiva fingenda, quibus homines significentur, qui id faciant, quod verbis illis declaratur, qualia sunt bibon, edon, erron, geron, palpon, sic etiam Umbri ea utuntur. Argumento est vocabulum, quod etiam in latino titulo apud Gruter. p. 167, 8. invenitur, maron (curator), a quo ductum est maronatei (curatione) in titul. Assisin. 4.

Horum substantivorum in ōn desinentium o Romani in declinatione aut integrum servaverunt, aut attenuando in ĭ verterunt[41] idque ipsum carnis vocabulo extriverunt. Ab ea ratione ita discesserunt Umbri, ut ō aut retinerent, ut in maron et in nominali substantivo homon, cuius dativ. pl. homonus (hominibus) V. b, 10 et 15. legitur, aut elevatum supprimerent, ut in abl. sing. menzne (II. a, 7.) et dativ. sing. karne (II. a, 1. 3.), abl. sing. karne (II. a, 30.), abl. pl. karnus (IV. 7.), quam attenuatae vocalis eiectionem certam et constantem Umbris fuisse comparatis vocabulorum in men exeuntium casibus obliquis intelligitur. Oscos autem et Sabellos in hac re sibi non constitisse ex carneis genitivo et ex mesen (mensis) vocabuli genit. pl. et abl. sing. colligendum est. Nam in tabul. Bantin. 31. [me]sinum VI nesimum (mensium VI proximorum) legendum est, si quidem Buggius in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 6. p. 23—24. mutila verba „..sinum VI nesimum“ recte, ut videtur, supplevit, et in lapide Aquilensi mes-en-e flusare scriptum est, quod collato mense flusare in titul. Furfens. (apud Orell. 2488.) mense florali significare apparet.

Adiungenda his substantivis ea sunt, quae in iōn exitum habent, ut fer-ion

---

tionis et asperitatis horrorisque notiones kru radici ab A. Webero in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. V. p. 232.—233. suppositas. De ineptiis vero ab Huschkio in ling. osc. et sabell. monument. p. 70. prolatis taceo.

40) Hoc vocabulum umbricum et oscum neque idem est, quod latinum cardo, ut voluerunt Mommsen. Ital. infer. dial. p. 145. et 268. et Langius de tabul. Bantin. p. 36—37., qui originem eius a krit (secare) radice sanscritica repetivit et partis notionem ei subiecit, neque coram significat, ut coniecerunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 158., vol. II. p. 332. et 409., qui quidem, quid vere sonaret id nomen, altero loco intellexerunt, quam interpretationem Kirchhoff. in libro de tabul. Bantin. p. 66. repetivit.

41) Cf. Apolones, i. e. Apollinis, in titul. edit. a Vignolio in Antiqu. inscript. select., quae additae sunt eius diss. de columna Imp. Antonini Rom. 1705. p. 339., a Lanzio Sagg. vol. II. p. 275., ab Orell. 1433., a Grotefend. Rudim. ling. Umbr. Partic. II. 5., a Massmann. libell. aurar. p. 40. Praeterea cf. mancum Apolon. in titul. Praenestin. apud Cecconi Stor. di Palestr. Ascoli. 1756. p. 39. et vid. Alschefski ad Liv. V. 23, 8.

(vas, quo vatuva et kazi ferebantur), cuius est abl. sing. ferine, quocum conferendi sunt ablativi natine (gente), de quo infra dicetur, et tribrisine (ternione) et dativus [42]) ekvine, quod substantivum, quum ab aequus adiectivo derivem, planitiei vocabulo exprimo. Quae substantiva umbrica quod carent in declinatione **o** vocali, quam latina substantiva eodem modo ficta in omnibus casibus servant, id non potest factum esse, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 2. p. 164., longa hac vocali suppressa, at brevi **i** retenta; mirabilior enim ea est explicandi ratio, quam quae possit esse vera. Imo vero horum vocabulorum **o** in flexione primo, ut latini Nerio, quod Neriĕnis facit, correptum et in ĕ mutatum esse, postea vero cum antecedente **i** in longum **i** coaluisse existimandum est. Eandem viam in flectendis his substantivis inierunt Osci, cui rei argumento sunt ablat. tang-in-ud (sententiâ) et qui in tab. Bant. 16. legitur, accusat. medica-tin-om (iudicium), itemque Sabelli, id quod colligendum est ex ablat., qui in tabul. Rapinens. 7. invenitur, ag-in-e (agonio). Cf. Ebel. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 1. p. 307. vol. 4. p. 289. vol. 5. p. 420—421., Buggium in eorundem act. vol. 5. p. 4., Corssen. ibidem vol. 9. p. 146—147.

Accedit, quod in iq sive eq, quae positio cum latina id conferenda est, kapiq sive capirs (capis) et vapeq sive vapers (lapis) desinunt.

Postremo attingenda sunt nomina, quae in ur exeunt, ut vep-ur, cuius abl. pl. vepurus V. a, 11. legitur, et neutrius generis substantivum ut-ur (aqua) [43]). Ea comparanda sunt cum latinis substantivis, quae in ur vel or desinunt.

---

42) Trāf praepositio ut illis locis, quibus declaratur, in quam partem vel spectandum vel eundum vel vertendum sit, cum accusativo iungitur, sic ad significandum, quo quid loco faciendum sit, cum dativo copulatur, quo fit, ut II. a, 13., ubi haec scripta sunt: tra ekvine fetu, i. e. trans planitiem facito, cum dativo ea connectatur, itemque I. b, 31., ubi haec leguntur: Tra Sate tref vitlaf feitu, i. e. Trans Satam tres vitulas facito, et VII. a, 41. in his verbis, quae illis respondent: Trahaf Sahate vitla trif feetu, i. e. Trans Satam vitulas tres facito. Aliter quidem atque mihi visum est Aufrechto et Kirchhoffio, qui ling. umbr. monum. vol. I. p. 157. et vol. II. p. 421. cum diversis casus localis formis hanc praepositionem iungi opinantur, at vol. II. p. 277. iis locis, quibus in aliquam partem convertendum esse declaratur, utrum accusativus ex ea aptus sit, an casus localis, incerti sunt. Sed supersedeo hos errores hoc loco convincere.

43) Mommsen. in ling. osc. stud. p. 104. eumque secuti Aufrecht. et Kirchhoff. in ling umbr. monum. vol. I. p. 98. 105. et vol. II. p. 345. utur umbricum idem, quod latinum ador habendum esse putaverunt; quod si ita esset, ex utus id ortum esse iidem utroque voluminis prioris loco dixerunt. Hos errores convincere quamquam molestum, tamen necessarium est. Ac primum quidem etiamsi eadem essent vocabula utur umbricum et ador latinum, antiquiorem tamen illius formam utus habere non liceret, propterea, quod adosiosus, quo adiectivo originem illam probare ii voluerunt, pro adoriosus nullo loco invenitur, sed a Th. Bergkio in Comment. de carm. Saliarium reliquiis. Marburg. 1847. p. III. ex odori eso, quae Varr. de ling. lat. VII. 3, 26. ex Saliorum carmine affert, non probabiliter fictum est, qua de causa eiusmodi utur vocabuli ortum recte iam Corssen. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. II. p. 15., in dubium vocavit. Iam vero sub utur adoris notio subiicienda non est. Nam II. b, 15., ubi hoc vocabulum legitur, verba haec sunt: sviseve fertu pune, etre sviseve vinu fertu, tertie sviseve utur fertu, i. e. in — ferto lac, in altera — vinum ferto, in tertia — ferto. Quum hic primo et altero vase potulenta ferenda sint, lac et vinum, etiam tertio vase potulenti aliquid ferendum esse si non necessarium, at veri simillimum

Restat, ut neutrius generis substantiva addamus, quae in us cadunt, ut er-us. Conferenda ea sunt cum neutrius generis nominibus, quae apud Romanos in us et apud Graecos in os exitum habent.

β, Iam ut ad ea inclinamenta transeamus, quae a consonis incipiunt,

α α, ab iis ordiamur, quae a t proficiscuntur. Et in to quidem et ta quae exeunt nomina, ea, quum principio participia sint praeter. passiv., proprie id significant, quod actione verbo declarata efficitur. Ex altera classe sunt neutra proseśeto (prosectum, prosicies), perto (fanum, sacellum), tetto (tectum)[44], fato, pisto (II. b, 15.), ex altera feminina muta sive mota[45]), quod vocabulum ex molkta extritis l et k litteris ortum est, et tûta sive tôta (urbs, civitas), quod nomen a tŭ (complere) radice sanscritica ductum esse G. Curtius in diar. antiqu. litter. stud. 1847. p. 464. docuit. Ut hoc idem est, quod latinum et sabinum mulcta (Varr. apud Gell. XI. 1, 5.) oscumque molto (tabul. Bantin. 11. 26. Fest. p. 142. ed. Mueller.), sic illud non solum idem est, quod volscum tota, quam eius formam volscam fuisse ex adiectivo toticu (tabul. Velit. 3.) apparet,

---

est. Quodsi ita se res habet, quis est, cui non succurrat ὕδωρ, cuius radix ud (madere, humere) per omnes fere linguas indogermanicas pertinet, idque eo magis, quod etiam exitus ut-ur substantivi proxime accedit non solum ad graeci ὕδ-ωρ, sed etiam ad cymrici ud-or terminationem. Num etiam Romanorum ud-oris vocabulum fuerit, dubium certe est, quod parum constat, utrum udor, an sudor apud Varron. de ling. lat. V. 4, 24. legendum sit. Aqua autem in sacris veteres non solum ad purgandum, sed etiam ad libandum usos esse exploratum est. Fest. p. 217. ed Lindem. „Quirites dicti Sabini a Curi dea, cui aqua et vino sacra facere soliti erant.“ Ovid. Metam. 3, 26—27. „Iubet ire ministros Et petere e vivis libandas fontibus undas.“ Non dubito ergo, quin utur vocabulo aqua significetur. Etiam Huschkius tabul. Iguvin. p. 328. hoc assecutus est. Sed ut redeam ad utur vocabuli positionem, tantum abest, ut assentiar Kuhnio (in act. erudit., quae idem edit, vol. 1. p. 373.) et, qui sententiam eius sequitur, Schweizero (ibid. vol. 3. p. 379.), qui sanscritici ud-an et graeci ὕδ-ατ terminationem ab utriusque linguae communi quadam et primitiva forma thematica, quae in ant exierit, repetunt, ut sanscritici ud-an et normannici vatn inclinamentum ab graeci ὕδ-ατ et ὕδ-ωρ, cymrici ud-or, saxonici wat-ar exitu diversissimum habeam. Quod autem iidem ab ὕδ-ατ stirpe ὕδ-ωρ ducunt et Walterus in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 12. p. 384. ὕδ-ατ et ὕδ-ωρ ab ὑδ-αρτ, ego vero ὕδ-αρ, cuius est genitivus ὕδατος, et ὕδ-ωρ vocabulorum rationem eandem esse iudico ac τέκμαρ et τέκμωρ aliorumque id genus δικαταλήκτων.

44) Tetto latinum tectum esse iam Knoetelius in diar. antiqu. litt. stud. 1848. p. 783. vidit. Quod eius vocabuli duplicem t litteram Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 1. p. 70. c gutturali t linguali assimulata ortam esse voluerunt, ita ut tetto umbricum cum tetto, letto, petto, quibus hodie Itali utuntur, conferendum esset, ei rei iidem vol. 2. p. 78. adversari viderunt linguae umbricae rationem, in qua c quod t litterae praecederet, non assimulari ei, sed in h verti soleret. Videtur igitur c in h mutatum excidisse, t autem geminatum esse propter propensam ad geminationem tenuium aeque ac semivocalium naturam, cuius rei quum in graeca lingua suppeditant exempla, tum non desunt in umbrica vestigia. Quare inconstantia scribendi, profecta illa ex sculptoris quadam negligentia, id quod Aufrechto et Kirchhoffio ling. umbr. monum. vol. 1. p. 70. et vol. 2. p. 420. placet, ter tettome (VI. a, 13. et 14.) pro tetome scriptum esse omnino negandum est.

45) Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 1. p. 62. huius substantivi originem a mārj (purgare) radice repetunt, ita ut mulcta aeque ac poena, quod vocabulum iidem Benarium (de ling. latin. elementis. p. 62.) secuti a pū (purgare) ducunt, proprie purgationem significet. Quae explicatio probanda esset, nisi radix, a qua mulcta videtur descendere, et mārj nimium inter se discreparent.

et oscum tovto (tab. Bantin. 9. 15.) sabellicumque touta (tabul. Rapin. 4.) sive tota (tabul. Rapin. 1.), sed etiam, licet latior iis subiecta sit populi notio, idem, quod letticum tauta, gothicum thiuda, hibernicum tuath. Adde Sâta, pro quo etiam Sahta sive Sahata scriptum est.

Distinguenda sunt ab his inclinamentis to et ta, quae cum tur positione conferenda sunt et auctorem significant vel eum, qui id facit, quod verbo, a quo nomen ductum est, declaratur. Hominum igitur et deorum dearumque nomina iis ficta sunt, ut masculina ahto et Hunto sive Hondo et femininum Prestata sive Prestota. Et Hunto quidem ab hon (interficere) radice descendit, cum Prestatae autem nomine, quae ab Romanis Praestita (Orell. 5830.) dicebatur, non solum Anterstatú, oscae deae (tabul. Agnon. a, 5. b, 6.), et Romanorum Statae matris nomina comparanda sunt, sed etiam antisti-t, praesti-t, supersti-t adiectiva latina, quorum t extremum eandem vim habet, quam to et ta inclinamenta.

Deinde in ti, ut in latina lingua gen-ti et men-ti, sic in umbrica exeunt ahti, frehti, friti, punti, de quo vid. not. 10., ranti sive randi, spanti.

His ea substantiva adiungimus, quibus infinite declarantur, quae verbis exprimuntur vel actiones vel status. Quorum substantivorum fingendorum ratio videtur omnino esse duplex. Et primum quidem ut Graeci τύς inclinamento (βοητύς, δαιτύς, ἐδητύς), sic Umbri et Latini in formandis iis tu positione utuntur, ita ut nominativum eorum singul., qui in lingua latina a participii praeter. pass. nominativo singul. numer. et mascul. gener. non discrepat, etiam in umbrica ab eo non differre existimandum sit. Ei positioni non obstat, quod ablat. sing., qui ex casibus eorum solus invenitur, et **i** et **u** terminatur. Etenim id syllabae stirpibus in **u** desinentibus affixae, quo modo principio horum nominum ablativum formatum esse statuendum est, **i** vocalis cum praecedente **u** aut in longum **i** coalescit, ut in aqputrati (arbitratu) a decomposito aq-putra sive aq-butra (arbitrari) ducto, quod ab aqbut-ro (arbiter) ex aq (ad) praepositione, radice put sive but (= sanscritic. pat, latine bêt-ere, i. e. ire) inclinamentoque ro composito derivatum est, aut in longum **u** [46]), ut in tursitu (solis torrore), quod a turse (latin. torrere, graec. τερσαίνειν, gothic. thaursjan) descendit, tremitu (terrae tremore), quod a trem (tremere) ortum est, hondu (caede), cuius **t** propter praecedentem nasalem in **d** transiit, et holtu (occisione), de quorum radice vid. §. 2., ninctu (ningore), nepitu (nimbo), quod ab eadem videtur radice repetendum esse, ad quod revocandum est nomen Neptuni, sonitu sive sunitu (tonitruum sonitu, tonitru), quod a sonando (sanscrit. svan) profectum est, savitu (fulminatione), de quo vid. not. 15., pre-plotatu sive pre-plohotatu (proluvie, inundatione), de quo vid. §. 3., pre-vislatu sive previlatu. His exemplis, quoniam supina casus habendi sunt verbalium substantivorum in tu exeuntium, haec addimus: anzeriatu sive aseriato (observatum), vasetum sivo vasetom (praetermissum), etatu sive etato (itatum), veltu (decretum).

Sed tion inclinamento verborum stirpibus annexo, quo modo magnum

46) Non assentior Aufrechto et Kirchhoffio, qui ling. umbr. monum. vol. 1. p. 118. et vol. 2. p. 268. stirpium in o desinentium declinationem haec substantiva sequi volunt.

idem fere significantium substantivorum numerum Romani finxerunt, num etiam Umbri id genus nomina fecerint, dubium est propterea, quod non potest eiusdem significationis ex titulis umbricis afferri vocabulum hac ratione formatum, quamquam eodem exemplo a g n a, quae radix eiusdem ac g e n (gignere) est potestatis, originem accepit n a t i o n, quod quidem substantivum apud Umbros gentem, non populum significat. Imo vero alia exstat terminatio, qua videntur usi esse Umbri illius quasi vicaria, zi, pro quo inferiore aetate, qua s pro z ponebant et, quae ei praecedebat, a vocalem in o vertebant, s i scripserunt, ut in substantivi a v a c a n d i verbo ducti ablativo sing. v a k a z e (I. b, 8.), i. e. praetermissione, pro quo VI. b, 47. v a c o s e[47]) legitur. Ea autem terminatio, quum z inter vocales positum, ut in osca lingua, sic etiam in umbrica cum leni quodam sibilatu videatur esse pronuntiatum, eadem habenda est ac graeca σι, quacum Huschkius in tabul. Iguvin. p. 214. recte eam contulit, latinaque si, in quam exitum habet clâ-si-s sive clâ-ssi-s vocabulum a căl ductum, a qua radice etiam κᾰλ-εῖν, căl-endae, nomenclator productaque a vocali câlare orta sunt.

---

47) Quum v a k a z e sive v a c o s e ablativum esse demonstrandum sit, paucis certe videtur exponendum esse, quo modo interpretandum sit I. b, 8. = VI. b, 47, qui locus a nullo adhuc recte est explicatus. Omissa igitur eorum, qui de eo disseruerunt, refutatione hoc satis habeo dicere. Ac s v e p u quidem sive s v e p o aeque latinum si q u i d est, atque eu (II. a, 2. II. b, 9) latinum i d, quibus formis umbricam linguam a latina differre facile est ad declarandum. Nam II. a, 2—3, ubi in archetypo haec leguntur: e s t u e s u n u f e t u f r a t r u s p e r A t i i e q i e; e u e s u m e s u n a r a t u, quae verba ab Aufrechto et Kirchhoffio in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 380. et a Buggio in act. erudit. a Kuhnio edit. vol. 8. p. 31—33 falso immutata sunt, sic interpretandum est: „istud sacrificium facito pro fratribus Atijediis; id (sacrificium) horum esse dicito.“ E u, ut hic nihil aliud esse potest, nisi neutrius generis acc. sing. ad e s u n u, quod antecedit, referendus, sic II. b, 8—9, ubi in archetypo haec scripta sunt: s i p e r a k n e s e v a k n e u p e t u, e v e i e t u, s e v a k n e n a r a t u; a r v i u u s t e t u, e u n a r a t u, p u z e f a ś e f e t e, s e v a k n e, eiusdem esse generis eundemque casum, qui ad a r v i u antecedens pertineat, ex s e v a k n e sequente satis apparet. Quare sic hic locus vertendus est: „suem perennem (i. e. anniculam) sollennem obito (i. e. capito), evieto (i. e. evincito), sollennem (eam esse plane ac diserte) dicito; — um ostendito, id (arviu) dicito, ut — is factis (— um dixerit), sollenne.“ Iam e s u m e k e s u n u sive e s o m e e s o n o, quamquam videri possunt singularis numeri esse accusativi, suspensi illi ex sequente a n t e r sive a n d e r, neque per se obstant, quo minus vertantur i n t e r h a n c r e m d i v i n a m, quod si esset verum, singulari numero collective posito sacra illa omnia, quae ocris piandi causa praecepta sunt, comprehendi sumendum esset, tamen pluralis numeri genitivi ea de causa habendi sunt, quod pluralem numerum, quum aptior sit huic loco et magis consentaneus, tum maxime esse necessarium hoc loco cum II. a, 15—16. collato apertum est. Illic enim ex a n t e r genitivi pluralis numeri m e n z a r u ś e r s i a r u apti sunt, non ex s u m e u s t i t e, propterea quod a n t e r, quod III. 2. post eadem verba ante s e s t e n t a s i a r u u r n a s i a r u genitivos non legitur, non potest esse supervacaneum. Nam nequaquam s u m e u s t i t e (III. 1—2.) idem esse potest, quod s u m e u s t i t e a n t e r (II. a, 15—16). Immo vero ut III. 2. s e s t e n t a s i a r u u r n a s i a r u genitivi cum e s u n u coniungendi sunt, sic II. a, 16. cum m e n z a r u ś e r s i a r u genitivis a n t e r praepositio copulata est. Cf. a n d e r v o m u s e r s i t u (VI. b, 41). Ex quo efficitur, ut e s u m e k e s u n u sive e s o m e e s o n o genitivi sint pluralis numeri, qui ita pendeant ex sequente a n t e r sive a n d e r, ut ex antecedente eadem particula II. a, 16. m e n z a r u ś e r s i a r u. Quod reliquum est, quum v a s e t o m e f u s t (VI. b, 47.) futurum exactum (i. e. proprie: praetermissum iverit) nihil aliud significet quam p r a e t e r m i s e r i t et, quod I. b, 8. pro eo invenitur, v a ś e t u m i s e perfect. coniunct. (i. e. proprie: praetermissum iveris) idem sit, quod p r a e t e r m i s e r i s, quid aliud v a k a z e

Deinde facti alicuius auctor sive is, qui id facit, quod verbo significatur, ut in sanscritic. et zendic. ling. târ, in graeca τωρ, in latina tôr, sic in umbrica et osca tur [48]) verbi stirpi affixo declaratur. Cuius rei in umbrica lingua exempla sunt aq-fertur=arsfertur sive arfertur, quod nomen ex sacris afferendis sacerdos cepit, qui sacra faciebat, kvestur (quaestor), uhtur sive ohtur (auctor), quod vocabulum ab ug sive og (augere), cuius radicis **o** ex au prodiit, **h** pro gutturali posito ductum est, in oscaque lingua keenzstur (in titul. Bovian. a Minervinio in Bullet. Napol. nuov. ser. VII, 1. tav. I. et a Corssen. in act. erud. a Kuhn. edit. vol. 11. p. 403. tractato) sive censtur (tabul. Bantin. 27. 28.), i. e. censor, pro quo in tabul. Pennaluc. (a Garuccio in Bullet. Napol. nuov. ser. I. 41. tav. III. 2. et a Kirchhoff. in act. erudit. a Kuhn. edit. vol. 3. p. 133. proposita) in plural. numer. kenzsor legitur, et kvaísstur (apud Mommsen. Ital. inferior. dialect. XXIV, XXV, XXVI.), i. e. quaestor. Eadem syllaba terminatur spetur.

Proxima his sunt vocabula consanguineos notantia, quae in tĕr exitum habent. Principio enim ea ipsa quoque auctorem significasse existimandum est, quamquam a genere eorum, de quibus proxime diximus, ita differunt, ut et motione careant, et forma sint breviore. Nam non solum eadem est masculini ac feminini generis terminatio (cf. latin. pater et mater), sed etiam ut in umbrica et latina lingua ea in brevem syllabam ter, ita in graeca in τερ et in sanscrit., zendic., gothic. in tăr desinunt. In eorum numero pater est, quod vocabulum quum ductum sit a pâ (servare, nutrire), ex qua radice latinum pasco emanavit, proprie servatorem vel nutritorem significat [49]). Oppositum ei est, quod ab eadem radice ortum proprie servatum vel nutritum decla-

---

sive vacose esse potest nisi ablat. sing. substantivi a vacando declinati? Is ex figura etymologica ad vaśetum ise et ad vasetom efust tantum iccirco additus est, ut quam planissime hoc diceretur: „si quid (eorum, quae de sacrificiis faciundis praecepta sunt) inter haec sacra praetermisso aliquo officio neglexeris (VI. b. 47. neglexerit).“ Simile certe est, quod III. 25. legitur: „tiślu sevakni teitu,“ pro quibus verbis III. 27. „tiślu sevakni naratu“ scriptum est, de quibus locis vid. not. 57., et quod in precibus invenitur, orer ose.

48) Quod Benfeius in Etymol. graec. II. p. 257. et Bopp. iu grammat. comparativ. p. 1139., quique eos secuti sunt Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. I. p. 162. et Schweizer. in act. erudit. a Kuhn. edit. vol. II. p. 299. et in libr. paedagogic. recens. 1855. p. 330. a trī sive tar hoc inclinamentum ducunt, id vix concedendum est propterea, quod proprie ea radix non perficere vel peragere significat, sed transgredi vel transire, quae vis nimium quantum differt a notione huic terminationi subiecta. Neque enim ulla alia nisi principalis radicis notio subesse potest quum horum substantivorum inclinamento, tum vocabulorum cognatos significantium, quae proximum iis locum tenent, praesertim, quum haec notionum maxime necessariarum nomina in antiquissimorum vocabulorum numero habenda sint. Idem Benfeius in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. 9. p. 108—112. ex tan non solum ta (δέσπο-τα) ex eoque ti (po-ti), quod in t (compot) versum esset, sed etiam tōr et tĕr orta esse contendit; at, quamquam inter inclinamenta, quae notionum quadam cognatione inter se continentur, etiam formarum quandam similitudinem esse necesse est, longius tamen illum in hac re prolapsum esse existimandum est.

49) Parum probabiliter Benfeius in act. erudit., quae Kuhn. edit, loco, quem in not. 48. laudavi, a pâ (dominari) radice sanscritica patris vocabulum duxit eoque proprie dominum vel herum significari opinatus est.

rat, graecum πά-ϊς, postea in unam syllabam παῖς coactum (de qua re vid. Gotthold. in act. a Mützell. edit. volum. anno 1851 emiss. p. 736—742.), aeol. πόϊρ, latin. puer sive por, qua forma Romani in servilibus nominibus Caipor, Lucipor, Marcipor, Quintipor utebantur. Etiam frâter [50]) huc referendum est, quod vocabulum idem est ac sanscrit. bhrâtar, gothic. brôthar graecumque, cuius quidem et vocalis producta est et significatio mutata, φρατήρ, de qua re vid. Pott. Quaest. etymolog. vol. 1. p. 111.

Addimus his ea substantiva, quae in tro desinunt, quod constat idem esse ac sanscrit. et zendic. tra graecumque τρο et instrumentum significare, quo id fiat, quod verbis, a quibus ea ducta sunt, declaretur. Neque enim dubium est, quin propinqua et formae et notionis cognatione tur inclinamentum haec terminatio attingat, quod non solum t et r litterae ei cum illo communes, sed etiam instrumenta, quae ea exprimuntur, quasi inanimi, ut ait Boppius in grammat. compar. p. 1140., rerum actores sunt [51]). Exempla eius haec licet afferre: ahaltru (in titul. Tudert. 1.), krematru, krenkatru sive cringatro, quod non solum cum iis, quae Huschkius tabul. Iguvin. p. 219. attulit, sed etiam cum slavico krong, krank, kran (circulo) collatum circulum videtur significare, feqehtru ab eadem radice, qua sufeqaklu, declinatum. Idem quidem, quod tro, declaratur tra syllaba, qua terminatur kletra (sacra aliqua supellex); sed alia est eorum nominum ratio, quae in tru desinunt, ut kastru.

ββ, Alterum genus inclinamentorum, quae a consonis incipiunt, eorum est, quae a labiali aliqua littera initium capiunt. Et in fo [52]) quidem, quod latino bo (cf. morbus) respondet, masculina et neutra desinunt, ut Serfo, quod dei alicuius nomen itidem, ut oscum kerrí (in tabul. Agnon. a, 3. b, 7.) et latina Cerus (creator) et Ceres, ex kri sive kar (facere, creare) radice sanscritica videtur fictum esse, et verfo [53]) (verbum), a quo verfale ductum est; in fa feminina, ut parfa, i. e.

---

50) Quae vis subiecta sit huic vocabulo, obscurum et ignotum est. Schweizerus sane in diar. antiq. litter. stud. 1846. fascic. 77. et Boppius in grammat. comparat. p. 1135., quibus assensi sunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 90. et vol. II. p. 406., a bhri sive bhar, quae radix sanscritica (= graec. φερ et latin. fer) vocali transposita et producta in bhrā esset mutata, originem eius duxerunt eoque, quod illa et ferre et nutrire significaret, proprie nutritorem declarari voluerunt, quo nomine ideo notatus esset frater, quod is post patris obitum matrem, sorores minoresque fratres sustentaret; sed arcessitam et contortam hanc explicationem esse facile est ad intelligendum.

51) Idem Boppius loco, quem dixi, eumque secuti Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. I. p. 162. et Schweizerns in libror. paedagogic. recens. 1855. p. 329. tro inclinamentum ab eadem radice, qua tur, ducere non dubitaverunt, cui rei idem obstat, quod eorum explicationi illius terminationis supra in not. 48. opposui.

52) Certe dubium est, num hoc inclinamentum, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 71. et 91., a bhava positione ex bhū radice sanscritica ficta, profectum sit.

53) Hoc substantivo umbrico et latino cum gothico vaurd, borussic. wirds, lettic. wārds (verbum, nomen), lituanic. wardas (nomen) comparato apparet ex eadem quidem radice, cui loquendi sit subiecta notio, ea omnia orta, sed terminatione Umbros et Latinos alia usos esse ac Gothos, Borussos, Lettos, Lituanos. Cui rei similis est latini barba ratio et slavici brada, lituanici barzdà, islandic. bardhr, germanic. bart. Eam autem inclinamentorum diversitatem ex eodem fonte emanasse, ut volunt Pottius Quaest. etymol. vol. I. p. 106. et Lott-

parra, in quo vocabulo Romani, ut Osci in illo kerrí, r antecedenti f litteram assimulaverunt.

γγ, Iam accedimus ad ea substantiva, quorum terminationes a liquidis initium capiunt. Et primum quidem masculina et neutra ponimus, quae in lo, et feminina, quae in la exeunt, pro quibus inclinamentis Romani posteriore aetate ulo et ula utebantur. Huius generis exempla sunt masculina anglo, quod cum germanico winkel et sanscrit. vanka (curvatio) et vanku (tortuose incedens) collatum aeque ac latinum, quod ei respondet, substantivum angulus et graecum adiectivum ἀγκύλος v litterae inceptivae iacturam fecisse patet, et puplo sive poplo (pŏpulus), quod ab eadem radice ortum est, qua latinum pûbes, quo etsi plerumque significabant iuventutem, quae arma ferre poterat, tamen saepe a parte potiore pro populo universo utebantur. Cf. O. Kellerum in Nov. annal. philolog. et paedagog. 1863. vol. 1. p. 768 [54]). Adde quae neutrius generis sunt, persklo (sacrificium) a persk (offerre) ductum, de quo in partic. I. p. 11. et in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. 13. p. 208—214. disserui, et seplo (simp-ulum sive simp-uvium), et feminina scapla (scapula), tafla (tabula) [55])

---

nerus in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. 5. p. 397. et vol. 7. p. 27., non est credibile. Neque vero probari potest, quod vulgo verbi vocabuli originem a graeca stirpe *ΕΡω* repetunt, propterea, quod ea digammate caret, neque quod Boppium secuti Aufrechtus et Kirchhoffius ling. umbr. monum. vol. I. p. 91. et 101. itemque Schweizerus in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. I. p. 154. et in libror. paedagogic. recens. 1853. p. 223. verbi vocabulum a grī sive gar duxerunt, quod cum ea radice sanscritica non solum graecum γηρύειν (doric. γαρύειν) et nostrum girren, sed etiam latinum garrire conferendum est, quod a verbi vocabulo mirum quantum discrepare in promptu est.

54) Confirmatur haec etymologia adiectivo a populi sive potius popli nomine derivato publicus, quod antiquior quam p, ut ait Ritschelius de Aletrinat. titulo. Bonn. 1852. p. XIV., in media eius syllaba b littera fuit; quae quum interiecto temporis intervallo tamquam revivisceret, factum est, ut haec formarum sese excipientium successio prodiret: povblicos, poblicos, poplicus, puplicus, publicus. Aliter placuit Pottio Quaestion. etymol. vol. I. p. 193, eumque secutis Aufrechto et Kirchhoffio ling. umbr. monum. vol. I. p. 162. et vol. II. p. 414., qui ut ple (plere) radicem ex pole, sic poplo reduplicatione, quae vocatur, ex polpolo fictum esse et proprie implens significare voluerunt. Aptius sane dicas ab adiectivo, quod graeco πολὺς respondeat, hoc substantivum ductum et ad notionis ei subiectae iterationem vel rerum eiusdem generis multitudinem, quae in ipsa radice insit, magis declarandam stirpem eius iteratam esse. Qualem vocabuli fictionem ad notionem eo expressam accomodatam esse negari non potest, sed sunt, quae ei repugnent. Etiamsi non ita multum valet, quod in iis linguis umbricae latinaeque cognatis, in quibus populus a multitudine nomen invenit, nulla id auctum est geminatione, ut creticum πόλχος, quocum conferendum est lituanicum pulkas (caterva, multitudo) et polonicum pulk (cohors), tamen vehementer repugnat non solum, quod ad probandam originationem supra propositam attuli, sed etiam quod umbrico puplo sive poplo congruens forma latina poplos extensiorem popolos antecessit. Vid. Ritschelium loco, quem ante laudavi. Accedit, quod eadem breviore nominis forma videntur usi esse Etrusci, si quidem ii Populoniam urbem ex populo nominaverunt Puplunam sive Puplanam, de quo nomine vid. Müller. Etrusc. vol. I. p. 330—331.

55) Hoc vocabulum ab eadem radice taf = latin. tab ortum est, a qua latinum taberna profectum esse constat. Quare eos sequi non licet, qui inclinamentum eius fla = latin. bula (cf. fabula, quod vocabulum a fando fictum est, mandibula, tribula) habuerunt, neque Pottium, qui quaest. etymol. vol. II. p. 58 et 604. aut a ταμ (secare) aut a ταν (extendere) originem id traxisse putat, neque Aufrechtum et Kirchhoffium, qui id ling. umbr. monum. vol. I. p. 91. et 162 vol. II. p. 419. a sta duxerunt.

Cars-ularumque, urbis umbricae, nomen, quod pariter ac Corsulae, oppidi sabini (Dion. Halic. I. 14.) et Carseolorum, oppidi aequici, nomina, ab agricultura petitum esse vidit Corssenius, qui in act. erud., quae Kuhn. edit, vol. 10. p. 38. a karsch (arare) radice recte ea duxit. Etiam ea vocabula huc referenda sunt, quae in **d**lu et **d**la sivo ślo et śla exeunt, propterea, quod huius exitus **d** sive ś littera radicis est, non inclinamenti [56]. Exempla eius generis haec sunt: neutrum ere**d**lu, quod ab erigendo ductum, quasi erigulum, ut ait Knoetelius, aram quandam vel foculum significat, masculinum ti**d**lu, quod a ti**d** (dicere) videtur esse profectum [57], viślo, a quo substantivo repetenda est viśla stirps, quae composito pre-viśla-tu (VII. a, 49.) sive pre-vila-tu (VI. b, 60.) continetur. Cf. cum iis substantiva nominalia ar**d**lo, a quo ductum est ar**d**lataf (arculata), et stru**d**la sive struh**d**la, quod quum a struice fictum sit, Romanorum quasi quaedam struicula est. Adde adiectivum kur**d**lasiu. Obscurius est vasirslo, cuius est vasirslome (VI. b, 12), quippe quod dubium sit, utrum pro vasiqlome sit scriptum, an, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 72. vol. II. p. 78. 183. 422, non accurate pro vasirślome exaratum. Ceterum eodem inclinamento usi sunt Osci, Sabini, Etrusci, cuius rei testimonio sunt oscum famel Solisque nomen sabinum Ausel et etruscum Usil ab usch (urere) radice ductum.

Adiungenda sunt his nominibus feminina, quae kla syllaba terminantur, pro qua posteriore aetate Romani cula ponebant, ut ficla [58] et ancla [59] (VI. a, 16. et 18.),

---

56) Quum k saepissime in lingua umbrica ante l positum sit, mirum sane est in his vocabulis ante illam litteram ś pro eo inveniri. Cuius rei quam attulerunt causam Aufrecht. et Kirchhoffius ling. umbr. monum. vol. I. p. 72—73., ea quidem inanis falsaque habenda est. Quod enim ibi dixerunt, quemadmodum hodie ab Italis post duras consonas pro l latino i poneretur, sic iam illa aetate coeptam esse l litteram ita obscurari, ut ad i vocalis similitudinem accederet, nondum vero constanter eam legem servatum esse, ut k et ante e et i, et ante l in ś verteretur, ei coniecturae repugnat, id quod iidem ipsi ling. umbr. monum. vol. II. p. 183. viderunt, quod non in iisdem vocabulis coniunctae inter se et kl et śl consonae inveniuntur, sed in aliis kl, in aliis śl. Imo nulla alia videtur esse illius rei causa, quam quae eodem loco ab iis allata est. Nam k littera, ubi inclinamenti klo vel kla erat, integra manebat, at ubi stirpis, ante lo et la positionum l litteram in ś vertebatur. Cui rei non repugnat persk-lo propterea, quod antecedens in eo s littera eiusmodi mutationi impedimentum inferebat.

57) Sacrificii vel ritus sacrifici notio, quam Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. II. p. 349. et 372. huic vocabulo subiecerunt, etsi ad II. a, 15. videtur convenire, ad ceteros tamen locos parum apta est. III. 25. enim, ubi legitur: tidlu sevakni teitu, et III. 27., ubi scriptum est: tidlu sevakni naratu, quae verba interpretanda sunt: „dicto (i. e. formula, carmine plane ac diserte) sollennem (25. hostiam, 27. ovem) dicito“, tidlu aeque ac II. b, 22. ablativus est, non accusativus, ut Grotefendus Rudim. ling. umbr. Partic. VII. p. 30. et illi voluerunt.

58) Neque Kirchhoffio assentior, qui ling. umbr. monum. vol. II. p. 175 et 406. fiklam deminutive a fico dictam esse putavit, propterea quod, si illius hoc vocabulum esset significationis, omnibus, quibus id legitur, locis utique pluralis eius, non singularis, requireretur; neque Aufrechto, qui in eiusdem libri vol. I. p. 32. et vol. II. p. 406. a ferk, quam radicem ille ipse finxit, originem eius repetivit, ita, ut idem id esse, quod latinum ferctnm, dixerit, non tam, quod hoc a ferendo, non a farciendo descendit, quare recta eius forma habenda est fertum, quam qnod r ante k in lingua umbrica extritum esse probari non potest. Deinde utriusque coniecturae repugnat, quod iidem ipsi ling. umbr. monum. vol. II. p. 184. de sententiae suae non solum veritate, sed etiam concessione opponi sibi posse intellexerunt, quod

pro quo, quum inferiore aetate n ad sequentes litteras k et t in g et d molliendas valeret, plurimis locis angla scriptum est. Item neutra huc referenda sunt, quae in umbrica oscaque lingua in klu sive clo desinunt, cui syllabae culo respondet, quo quidem posteriore aetate Romanos usos esse constat. Ea positione, ut in latina lingua, sic etiam in umbrica oscaque substantiva ficta sunt, quibus instrumenta significantur et loca, quibus ea fiunt, quae verbis, a quibus ea ducta sunt, exprimuntur [60]). Cuius generis sunt ehvelklu (decretum), quod a vel descendit (cf. imperat. eh-vel-tu), quae stirps propinqua est latino velle et gothicis verbis viljan (velle) et valjan

---

si huius vocabuli k radicis esset, ante la inclinamentum ś pro eo requireretur. Ego sane, quae vis ei subiecta sit, nescio, sed hoc video, non la, sed kla eius esse terminationem.

59) Ancla sive angla vocabulum, ut VI. a, 1-2. VI. a, 5-6. VI a, 6-7., quibus locis angla aseriato legitur, cum I. b, 10. = VI. b, 48., ubi avef anzeriatu sive avif aseriato invenitur, itemque VI. a, 1. et VI. b, 49., ubi angla scriptum est, cum aveis et avif, quae proxime antecedunt, collatis generatim idem significare apparet, quod avi, ita VI. a, 3. VI. a, 4-5. VI. a, 18., quum iis locis avi oppositum sit, singularem et propriam potestatem habere intelligitur. Id iam Grotefendus Rudim. ling. umbr. partic. II. 33. VI. 2. VIII. 19. perspexit, idem tamen aves minores, anglas maiores aves sive aquilas esse parum probabiliter dixit. Probabilius sane Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. II. p. 41., quod apud Romanos aves auguriales in tria genera distribuerentur oscinum, alitum earumque, quae et oscines et alites, ut picus, haberentur (Fest. p. 197.), VI. a, 16. autem oscinum genere anglae certe continerentur et picum VI. a, 3. VI. a, 4-5. VI. a, 17-18. et avem et anglam haberi existimandum esset, aves alites, anglas oscines esse coniecerunt, sed, quod ad confirmandam hanc coniecturam docere debebant, unde ducenda esset anglae vocabuli origo, demonstrare non sunt conati. Vid. ling. umbr. monum. vol. I. p. 96. Quod alii quidem de hac re protulerunt, verisimile non est. Nam neque Grotefendus Rudim. ling. umbr. Partic. VI. 2., Knoetelius in litter. antiq. diar. 1848. fascic. 97., Panzerbieterus Quaest. umbr. p. 10. in ea satisfecerunt, qui, quum ab anc radice hoc vocabulum duxerint, a qua orta sunt anculare (ministrare) apud Paul. Diac. p. 19., ancilla, dii Anculi deaeque Anculae, anclabris, nostrum enke (famulus, equarius), anclarum nomine aves auguriales ideo notari putaverunt, quod eae ministrae essent divinae, quae deorum voluntatem nuntiarent; neque Huschkius, qui tabul. Iguvin. p. 47. anglarum vocabulum ab ἀγγέλλειν duxit eoque aves auguriales ea de causa nuncupari opinatus est, quod nuntiae eae essent divinae, quales aves essent apud Homerum. Cf. Iliad. 24, 292. 296. 310. Odyss. 15, 526. Immo vero, si recte, ut videtur, iudicaverunt Aufrecht. et Kirchhoff., neque ministrandi, neque nuntiandi notio in anglarum nomine inesse potest, sed, ut avium nomine apte significari possunt alites, quae involatu auspicium faciebant, sic, ut oscinum nomen exprimatur, quae aves cantu futura praedicebant, ex canendo eae nominatae sint necesse est. Hac ratione adductus ab an (sonum edere) radice sanscritica equidem hoc vocabulum duco. Quod restat, offensioni esse non potest, quod in eadem tabula et antiquior forma ancla et recentior angla invenitur, quare ancla falso ab Aufrechto et Kirchhoffio ling. umbr. monum. vol. II. p. 402. reiectum et VI. a, 16 et 18. mutatum esse iudicandum est.

60) Negari sane non potest, cum notione huic inclinamento subiecta congruere, quod Boppius in grammat. comparat. p. 1140. eumque secuti Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. I. p. 100. et Schweizerus in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. II. p. 371. et vol. III. p. 381. et in libr. paedagog. recens. 1855. p. 329. id a kri sive kar (facere) radice sanscritica duxerunt; sed, si vera esset haec etymologia, principalis huius inclinamenti forma cru esset habenda, non clu. Atqui cru non solum in umbricae linguae monumentis nullo loco exstat, sed ne in latina quidem lingua invenitur, nisi l in vocabuli stirpe antecedit; quam eandem causam esse, cur pro bulum brum et pro alis et al aris et ar in lingua latina ponantur, inter omnes constat. Vid. C. O. Müller. in Freundii lexic. vol. I. p. LVI. Quo modo quum una euphonia fiat, ut in his inclinamentis l in r mutetur, illorum explicatio probari non potest.

(eligere), naraklu (precationis carmen), pihaklu (piaculum), mantraklu sive mandraclo (mantelium), quod a manibus vel terendis vel tergendis (umbr. tra) dictum est. Adde sufeqaklu a feqa stirpe cum sub praepositione composita ortum et o[h]oserclo, cuius longum **o**, pro quo scriptum est o[h]o, idem habendum est ac latinum au, ortum illud, ut in auceps et auspex vocabulis latinis, ex avi syllabis, et ser simplex radix, a cuius aucta forma seritu (servato) imperativus declinatus est, quo fit, ut hoc vocabulum, quasi avi-serva-culum auguraculum significet. Cf. Panzerbieter. Quaest. umbric. p. 15.

Ex inclinamentis, quae ab **m** littera oriuntur, primum ponimus mo, in quod exit stahmo (statio, templum) a stah (stare) radice ductum. Num arsmo et vomo (VI. b, 41.) huc referenda sint, incertum est.

Deinde men syllaba terminatur nomen (idem, quod sanscrit. nâman, graec. *ὄ-νομα,* latin. nômen, gothic. namo), quod quum profectum sit a gno (gnoscere) radice, cuius g in a-gnôminis et co-gnôminis vocabulis latinis servatum est, proprie signum vel notam, qua quid noscitur, significat; tikamen, kumen[61]), umen, cuius simplex **m** pro duplici positum esse ex eo intelligitur, quod id ab um ductum est, ad cuius verbi imperativum umtu subsequentem ablativum umne II. a, 38. referendum esse apparet.

Tum in mno, cui latinum mino respondet, termno (terminus) cadit a trî sive tăr radice sanscrit. (penetrare) ductum, quocum cf. oscum teremniss (cipp. Abell. 14.), i. e. terminos, et graec. *τέρμων.* Num tremno huc referendum sit, dubium est.

Postremo ea substantiva afferimus, quorum positio ab **n** littera incipit. Et no quidem, quae in sanscrita lingua participii praeter. passiv. est terminatio, ut in adiectivo pleno, quod proprie impletus significat, sic in substantivo qunu, quod idem est, quod sanscrit. dânam, volscum dunom (in tabul. Antin.), oscum donom, latinum donum, principalem suam vim servavit; a qa enim sive da (dare) ductum proprie id nihil aliud nisi datum sonare apparet. Adde akno, quod ab ak sive ag radice declinatum et idem est, quod oscum, cui inserta est **o** vocalis, akono (local. akenei), latinum, in quo **k** sequenti **n** assimulatum est, annus, graecum *ἔνος*, propinquumque sanscritico akschna (tempus), rano, vino[62]), quod idem est, quod latinum vinum, graecum F*οῖνος,* gothic. vein, lituanic. wynas, polonic. vina, ruthenic. et bohemic. vino.

---

61) Kumen magnam sartaginem vel *πύρανον* quoddam significare videtur, quare Corssenio assentior, qui de Volscor. ling. p. 27. ortum id esse vult ex kup-men sive kub-men, cuius stirps eadem sit, a qua prodierint sanscrit. kumbha (urna, vas aquarium), graeca *κύμβη, κύμβος, κύπη, κύπελλον,* latina cupa et cumba (Fest. p. 50.). Cf. alia vocabula his propinqua apud Pott. Quaest. etymol. vol. I. p. 84.

62) Vī-num et vī-tem non disparanda, sed ab eadem radice ducenda esse non solum ex rerum iis significatarum propinqua cognatione, sed etiam ex eadem, quae utriusque huius substantivi est, syllaba priore apparet. Iam vero vitis vocabuli origo a viendi verbo, quocum ve (texere, nectere) radix sanscritica congruit, non inepte vulgo repetita est propterea, quod ea, ut ait Cicero Cat. mai. 15, 52., „claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur." Quae eadem causa est, cur vites et viticulae aliarum plantarum, ut cucumeris (Pallad. IV. 9, 8 et 9.) et cucurbitae (Pallad. IV. 10, 15.), ramuli vocati sint. Quod ex contrario Kuhnius in act. erudit. a se edit. vol. I. p. 191-192. et vol II. p. 133. et Lottnerus

Deinde in na exitum habent śesna, cuius vocabuli a śers (edere) radice ducti integram formam śersna fuisse ex deponente śersnatur furent (cenati fuerint, i. e. cenaverint) V. a, 22. efficitur quodque idem est, quod sabinum scesna (Fest. et Paul. s. v. scensas) priscumque cesna (Fest. s. v. pesnis), cuius s posteriore aetate Romani cenam[63]) efferentes extriverunt, et fesna[64]), quod substantivum idem est, quod oscum fíísnú. Dubium est, num spina huc referendum sit, quod vocabulum idem est, quod spinia, ut pro Rupinie (I. b, 27.) VII. a, 6. Rubine scriptum est.

---

in eorundem act. vol. VII. p. 22. vini nomen idem esse putant, quod sanscriticum venas, quod amatus significat, eoque vocabulo, ut Indi quum alias res, tum potionis genus, cui soma nomen est, notaverint, sic Latinos et Graecos sucum uvis expressum appellasse opinantur, ego vero duabus de causis ab iis dissentio. Et primum quidem primitiva syllaba omnium vocabulorum latinorum, quae a van sive ven radice (amare, petere, favere) profecta sunt, ut Venus et venia, ĕ vocalem habet, at vinum ī. Deinde in vitis vocabulo, quippe quod a vini nomine separari non possit, si id a ven radice originem traheret, n requireretur, quod cur extereretur nihil fuisset. Multo minus probandum est, quod Fr. Müllero in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. X. p. 318-319. placuit, qui vinum peregrinum vocabulum et idem esse dixit, quod hebraicum jajin. Etenim, ut alia omittam, non solum vix credibile est a Semitis Arios populos vinum cognovisse, sed etiam ab longe alia radice hebraicum illud vocabulum descendit, ab jun, i. e. premere, torquere. Hebraei igitur vinum prelo pressum appellaverunt, ut Arabes chamr, i. e. effervescens.

63) Romani, ut superiore aetate śersna umbricum exclusa r littera enuntiabant cesna, sic epulum funebre sive cenam in exsequiis silentio comesam vocabant s littera exterminata silicernium.

64) Aufrecht. et Kirchhoffius ling. umbr. monum. vol. II. p. 344. et 406. fesna umbricum idem esse dixerunt, quod hernum marsicum, i. e. saxum. At ei explicationi hae res repugnant, quibus impedimur, quo minus eam approbemus. Nam etsi frequenter s in r vertitur, hic tamen non facile, ut illi volunt, explicari posset eiusmodi mutatio, sed mira esset propterea, quod etiam osca lingua in hoc substantivo s litteram servavit. Neque ex latina lingua licet exemplum afferre s ante n in medio vocabulo sic mutati; immo quocunque oculos coniicimus, in lingua latina aut sequenti n assimulatam videmus s consonam, aut extrita ea antecedentem vocalem productam. Non commemoro, ut hoc probem, lūnae nomen, cuius quidem loco Etrusci losna utebantur (Orell. 2498.), quod latinum illud vocabulum ex lucna ortum est; sed a pet (volare) radice ductum esse petna, ex quo fictum sit pesna, quod in penna transierit, nemo ignorat. Illius autem rei exempla sunt pōno ex posno figuratum, ahēnus sive aēnus, quod Latini pro umbrico ahesno ponebant, quod declinatum est a sanscrito ăjăs (aes, ferrum); cēna, quod vocabulum idem est, quod umbricum śesna; pēnis, quod nomen non solum cum graeco πέος, sed etiam cum sanscritico pásas, quod et ipsum neutrius generis est, collatum ex pesnis prodisse intelligitur; vēnenum, cuius vetustiorem formam vesnenum fuisse comparato sanscritico vas-na (mors), quod a vas (interficere) radice ductum est, apparet. Accedit, quod herni, ut demonstravit Corssenius in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. XI. p. 519. cum dhri sive dhar (tenere, sustentare) radice sanscrit. et dhīra (firmus) comparati r principale est, ex quo itidem efficitur, ut hoc vocabulum marsicum ab umbrico fesna secernendum sit. Finem autem fesnam significare, quod a Mommsenio olim in ling. osc. stud. p. 87. propositum Huschkius in ling. osc. et sabell. monum. p. 42. et 399., itemque in tabul. Iguvin. p. 326. 342. 683. tenuit, concedi non potest, quod, ut Mommsenius ipse in Ital. inferior. dial. p. 308. vidit, quibus locis fíísnú et fesna leguntur, iis finis notio ab orationis contextu abhorret; certe, ut hoc dicam, in cipp. Abell. 30. et 32. Herekleís fíísnú non, ut Huschkio placet, Ἡρακλείου finis esse potest. Equidem antehac fesnae stirpe cum fastus et fastigii stirpe collata, quod his vocabulis latinis altitudinis notionem subiectam esse patet, res fesnae nominis plurali declaratas aut colles esse, aut, id quod iam Aufrechto et Kirchhoffio ling. umbr. monum. vol. II. p. 344. occurrerat, summa montis cacumina conieceram. At vix distinguenda sunt fesna umbricum et oscum fíísnú. Hoc autem in cippo Abellano, id quod Corssenius in act. erud., quae Kuhnius edit, vol.

Tum in ni desinentium substantivorum, qualia latina sunt amnis, crinis, finis, funis, ignis, panis, exemplum est puni sive poni (lac), scriptum illud etiam pune sive pone, de quo vocabulo Partic. I. not. 2. disserui.

Adde nu, in quod cadit manu (manus), quod vocabulum ab eadem radice ma (capessere, prehendere, arripere) descendit, a qua profecta sunt graeca verba *μάομαι* et *μαίομαι*, quaeque eadem est atque albanica *μαρ* (capere), quacum conferenda sunt graeca nomina *μάρη* (manus) et *εὐμαρής* (= *εὐχερής*).

Denique in nâk, quod inclinamentum umbricum idem est, quod latinum nîc, avium exeunt nomina, ut kurnak (cornix); kur enim (crocire, *κρώζειν*) radicem et nak inclinamentum esse comparatis non solum cor-vi et cor-nicis, quae aves eiusdem generis sunt, vocabulorum radicibus, sed etiam cor-nic-is et cotur-nic-is itemque *φοί-νικ-ος* et *ὄρ-νιχ-ος* nominum terminationibus intelligitur. Adde, quod ab eadem radice orta sunt sanscrit. ku̥r-ava (corvus) graecumque *κόρ-αξ* et sanscrit. kâr-ava sive kâr-avana (cornix) graecumque *κορώνη* [65]).

Restat, ut inclinamenta memoremus, quae ab r littera oriuntur. Et in ro quidem exeunt agro (= latin. ager, graec. *ἀγρός*, sanscrit. ajra, gothic. akrs, germanic. achar) et apro sive abro (= latin. aper et germanic. ebar), quod num a kup (irasci) radice sanscrita descendat, cui quidem originationi a Pottio Quaest. etymol. vol. 1. p. 256. et vol. 2. p. 262. propositae graecum *κάπρος* suffragatur, dubium est. Accedunt kapro (= latin. caper et tyrrhenum, ut ait Hesych., *κάπρος*), quod a kap radice, in qua vorandi inest notio (cf. graec. *κάπτω*), ductum est; Tefro (dei nomen), tefro (pars quaedam hostiae), tefro (VII. a, 46. locus quidam).

Deinde in ri exitum habet okri (mons confragosus) [66]).

XI. p. 418-423. demonstravit, locus certis terminis inaugurato consecratus et ab humano cultu purus significatur, in quo sakaraklúm Herekleís est, i. e. aedes dei cum adiacente terom sive agro dei proprio. Eiusmodi autem locus sacer, quod certis terminis erat circumscriptus, templum, idemque, quod certis verbis erat definitus et consecratus, fanum ab Romanis dicebatur. Recte igitur Peterus in diar. litter. Halensib. 1842. p. 78. et Mommsenius in Ital. inferior. dial. p. 119. 120. 308. fíísnú fani vocabulo reddiderunt, sed iidem errant, quod ab eodem verbo, a quo latinum fanum, oscam fíísnam ducunt. Nam eodem quidem inclinamento haec vocabula ficta sunt, sed ut fanum non ex fasnum ortum, sed a fando dictum est, sic fíísnú et fesna, itemque fesiae (Vel. Long. p. 2233. Fest p. 86.) sive feriae et festus, ut idem Corssenius loco, quem dixi, docuit, a bhas (lucere, splendere) radice sanscritica ducta sunt. Quare ut fesiis et die festo tempus solenne, sic fíísna et fesna locus, qui sacer ac religiosus est, lucens appellatur. Non repugnat huic explicationi, quod pluralis huius vocabuli in tabula iguvina invenitur, propterea, quod nihil obstat, quo minus statuamus compluria, ut ait Corrsenius, eiusmodi loca sacra fuisse, in quibus sacrificari, saltari, supplicari posset.

65) Aliter quidem placet Boppio in Grammat. r. 671., Pottio in Quaest. etymolog. vol. I. p. 213., Picteto in act. erudit., quae Kuhn. edit. vol. VI. p. 183., qui, mirabile dictu, a sanscrit. pronomine interrogat. et radicibus ru sive rav, râç, ran, in quibus sonandi notio inest, haec vocabula ducunt, ita ut propriam eorum significationem esse velint: „(nescio) quam vocem habens.“ En vera et simplex nominum fictio!

66) Okri ab ok (acutum esse) radice descendit, quae eadem est atque ak, id quod intelligitur collatis latinis verbis oc-ris et ac-uere graecisque *ὄκ-ρις* et *ἄκ-ρις*, *ὄχ-θη* et *ἀκ-τή*, quod quidem vulgo (Passovius in lexic., Doederlinus in gloss. Homer., Curtius in etymolog.

δδ, A v semivocali va positio incipit, in quam exeunt arva (arvum) et felsva, quibus sviseva addimus, quod quidem eodem modo, quo latinum gingiva, videtur esse formatum. **d**ive autem vocabuli v utrum radicis sit, an inclinamenti, incertum est.

c, Praeter ion et tion, quae supra attigimus, haec bisyllaba inclinamenta commemoranda sunt. Et primum quidem in io masculina cadunt, ut Nurpio, et neutra, ut arvio, prus**e**dio (prosicium)[67], aqkanio, quod quum ab aq-kan (accinere) ductum sit, cantum significat, qui accini solet. Pro aqkaniom quidem IV. 28. sublato **o** aqkani[68] legitur, sed mirum hoc videri non potest propterea, quod etiam Osci posteriorem huius inclinamenti vocalem exterunt. Cf. medicim (magistratus) in tabul. Bantin. 30. 31. 33. et memnim (monumentum) in lamina plumbea Capuae inventa apud Corssenium in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. XI. p. 338. Ex Fidio autem dei nomine, quum **d** et **i** in **j** mutatum in sibilantem litteram verteretur, Fiso ortum est; quo eodem modo Sabini pro Claudio Clauso extulerunt et Romani ex Drutio Druso et ex Martio Marso finxerunt. Cf. Ζεύς, quod nomen ex Διεύς factum esse supra dixi. In ia vero feminina exeunt, ut spinia et presolia, quod a verbo composito pre-sol descendit, cuius radix eadem videtur esse, quae latin. sŏl (sedere), a qua sŏlum, sŏlium, consŏlere, consol, exsol, praesul, sōlari Eschmannus in act. erudit., quae Kuhnius edit, vol. XIII. p 106-112. recte duxit. Verbo igitur, non re, presolia idem est, quod latinum praesidium.

Deinde in eqa et eqia desinunt **d**i**d**eqa et ampeqia et in ella Padella, quam deam a patendo Romani Patellam dicebant.

Tum in uno sive ono et una sive ona quum adiectiva, ut esuno sive esono (divinus, sacer), tum deorum dearumque nomina exeunt, ut Vesuna, quae dea etiam a Volscis (cf. tabulam in agro Antinatium Volscorum repertam) et Marsis (cf. titul. Milioninum) colebatur. Eius nomen ab eadem radice sanscritica vas (habitare) descendit, a qua Ves-tae deae et Ves-bulae, oppidi sabini, nomina profecta sunt, eundemque exitum habent Vacuna, deae sabinae nomen, et Romanorum deorum dearumque no-

---

graec. element. vol. II. p. 119.) perperam ab ἀγ, quod pro Fαγ sit, ortum esse volunt. Cf. H. Weber. in nov. annal. philolog. et paedagag. 1863. vol. 87. p. 601. Ceterum non solum Umbrorum hod vocabulum erat, sed etiam Romanorum et Sabellorum. Nam Romani antiqui, ut ait Fest. p. 181. ed. Müll., ocrem montem confragosum vocabant, et in tabul. Rapinens. 6. a Marsis insculptum legitur ocres Tarincris, i. e. montis Tarincris, ab eodemque nomina ducta sunt Ocriculi, quod oppidum umbricum in praerupto colle situm hodie Otricoli dicitur, et Interocreae, quod oppidum sabinum montis faucibus inclusum hodie Antrodoco appellatur. Graecum autem substantivum ὄκρις non solum retenta principali acuminis significatione, sed etiam feminino genere ab umbrico latinoque vocabulo, quod masculini est generis, differt.

67) Prusedia II. a, 23. accusativum pl. esse manifestum est. Genus autem huius vocabuli nihil est, quo neutrum habere prohibeamur, praesertim, quum pro prosicie Romani etiam prosicium (Paul. ex Fest. p. 225. ed. Müll.) posuerint. Quo modo quum non sit, cur in exitu eius f littera suppleatur, Aufrechto et Kirchhoffio non assentior, qui ling. umbr. monum. vol. II. p. 384. et 417. prusedia pro prusediaf, i. e. prosicias, scriptum esse putant.

68) Aufrecht. et Kirchhoff. aqkani, quamquam substantivi accusativum esse ling. umbr. monum. vol. II. p. 377. intellexerunt, tamen ibidem p. 409. adiectivi accusativum generis neutrius, qui pro adverbio esset, falso habuerunt.

